

113
114

Biblioteca Nazionale
Marciana



115

Biblioteca Nazionale
Marciana



Biblioteca Nazionale
Marciana

Manuale di
Matematica
di
G. B. B.

IONALD
78
C
203
E. EZI

10.

Biblioteca Nazionale
Marciana





Biblioteca Nazionale
Marciana







3299

Biblioteca Nazionale
Marciana

Biblioteca Nazionale
Marciana

113
114

Biblioteca Nazionale
Marciana


114

CONSTANTINI
DE RVBEIS

Salaminij

C. R. Congreg. Somaſchæ
EPISCOPI VEGLENSIS.

POEMATA.



VENETIIS, MDC XXXIV.

Ex Typographia Pinelliana.

Superiorum permissu.


CONSTANTINI
DE RABEIS

Salvatorij

C. R. Congreg. S. Sabae

EPISCOPI VEGLENSIS

POEMATA



VENETIS MDCXXX

Ex Typographia Pinelliana

Summae Stradae



TYPOGRAPHVS

AD LECTOREM.

QVæ leges hîc carmina (erudite Lector) penè interciderât ubique dissipata, non curante sua pignora authore, nisi sedula industria vaga, ac profuga ad suas veluti sedes ex multorum pluteis reuocassẽ; ne egregij vatis nostrum seculum ornamento careret. Nunquàm putauit ille fore, vt posthminio recepta in vno congesta volumine vulgarentur. Horaria voluit esse, non diuturna, vtpotè genij tantum gratia scripta per iocum. Multa enim iuuenilis ingenij impetu fudit: pleraq; aliud agenti ferè extemporanea exciderunt: quædam etiam amicorum expressit obsequium: & è re nata ad carmina pangenda

4

da profuit, more neglecturus citrà stu-
 dium, & negligenter effusa. Sed non est
 eadem, & amicorum, & authoris horum
 carminum æstimatio; qui nitidum, suc-
 cofum, ac viuidum poeseos genus æterni-
 tate donandum, efferendamq; in oculis
 omnium facilem, spontèq; fluentem sua-
 uiter elegantiam putarunt. Quare me de
 vtrifq; & de re poetica optimè meritum
 speravi; si hæc poemata nullam incuriam
 finerem intercipere; & ex latebris, in
 quibus diù latuerant occulta, refoderem.
 Tu, si placebunt, authori animum facies
 vt maiora, ac grauiora moliatur: sin mi-
 nùs studiosam ergà te meam boni consu-
 le voluntatem. Vale.

5
DE ITALIA TRIPLICI

flagello percussa Anno

MDCXXX.

O D E.



DIVINA sauit dextra minacibus
Armata flagris. Acrior infremit
Hunc inde Erynnis, Marte ciues
Præcipiti stimulante ad arma.

Quæ dona quondam spicea largior
Ceres ferebat, reddere denegat,
Exulta quamuis: nec recepta
Semina restituit colono.
Neque hæc malorum meta. proteruior
Sed pestilenti cuspide viscera
Mors lancinat, passimq; diris
Funera funeribus recurrunt.
Peiora priscis tempora! Tergeret
Coelestis olim crimina ut Arbiter,
In criminosos inferebat
Ex tribus alterutrum flagellis.
At nos flagellas verberere triplici,
Diuine vindex. Crimina scilicet
Ter nostra priscis sediora
Ter rigidis abolenda flagris.

6
 A D S E R E N I S S I M V M
 V E N E T I A R V M P R I N C I P E M
 F R A N C I S C V M E R I C I V M

Panegyris Lyrica.



Inter axis sidera patrij,
 FRANCISCE Princeps, purpureū iubar,
 Compesce fulgores verendos,
 Et pavidas recrea benigno
 Lepore Musas. Leniter excipe

Tuis dicatum carmen honoribus:

Dum Te sago clarum, Togaque,
 Et meritis memorant triumphis.

Egressus annis vix puerilibus
 Sequentis cui lustra virentia,
 Viresque feruentis iuuentæ
 Obsequium in patriæ dicasti.

Tu gloriosis ampla triremibus
 Emensus olim marmora, flumine
 Sudoris auxisti decoro
 Adriacas generosus undas.

Te Regna Thetis fæda latronibus
 Videre nutu non semel horridos
 Arcere piratas minaci,
 Et timidos animare nautas;

Vt ex profundo gurgite verticem
Pater profundi sæpius exerens
Purgata miratus latronum
Insidijs sua Regna, posthac
Tibi Tridentis iura liquentia
Cessisset ultrò, sceptraque cærule :
Sed fata spondebant trophæa
ERICIO meliora terris.
Euexit ala quem Leo præpete
Ex liberati fluctibus æquoris :
Duxitque felices ad Istros
Igniferum patrios in hostes.
Formidolosis inde phalangibus
Terrore Carnos, Marteque perculit
Mirante palmas, & Timaou
Sanguineos glomerante fluctus.
Sed obstrepenti me trahit impetu
Felix olorum murmure Mincius,
Cum pro tuenda sorte Mantus
Teutonicis ferus, ac Iberis
Stetit paratus fortiter emori,
Non fulminantis glande tonitruï,
Nec territus telis cruenta
Eumenidum mimitante dextra.
Hic, Musa, olorum coge virentibus
Dispersa ripis agmina Mincij :
Haud aptior vates referre
Gesta nouis memoranda seclis.

8

Hinc namque pulcra cinctus adorea
 Palmis onustus littora patriæ
 Regressus Urbis purpurati
 Plausibus excipitur Senatus.

Mox Martiali casside nobilis
 Vertex herili fulget, & aureo
 Cornu decorus, Principemque
 ERICIVM Populi salutant.

Prob quàm sonoris Adria personat
 Tonantis æris læta fragoribus,
 Et civium votis precantum
 Mille Duci sine nube lustra.

Dùmque in Paternæ pacis amabili
 Heroas inter præsidet exedra,
 Sermone solatur disertò, &
 Pacifica ditione ciues.

Sed fessa quamuis vita laboribus,
 Aeuoque præceps: non tamen abnuie
 Pro Patria rursus pericla,
 Vel senio renuente, cuncta

Subire velox. Prouidus interim
 Catonis instar munere consili

Rempublicam Princeps paterni
 Dulcè fonet, regit, ornat, auget.

Sic Templâ fortis siue reclusis,
 Gradiue, Iani: siue ea clausis,
 Astræa, felix imperante
 Res Veneta ERICIO perennat.

Sacrum Beatissimæ Virginis Rosarium
à Petro Martyre Romano ex Or-
dine Prædicatorum eruditis
sermonibus illustratum.

O D E.



Andit supernæ delicias Rosæ,
Cælumque sacris mulcet odoribus
Romanus, dum sacra nectit
Ore simul, calamoque ferta.

O ferta, neptes qualia Atlantica

Nexere nunquam; qualia candido

Nec pollice unquam texuisset

Primus Adam Paradisi in hortis.

Illic caduco florida caudice

Tellus ferebat germina: flosculos

Romanus nectit perennes

Virgineo sacra ferta crini.

Armata nullo vepre rosaria

Illic rigebant; hinc vepre plurimo

Armata vernant, purpurantque

In vepribus sine vepre vepres.

Immista sacris namque doloribus

Mysteriorum gloria, gaudia

Sunt pellegenti dulciora,

Dulce velut mage dulcet acri.

Tales

10

Tales ad hortos Virgine prævia
 Oestro superni numinis incitus
 Romanus ducit legentes,
 Et Roseos facit arte mira.
 Quid Fama langues? Ocior aduola,
 Huc defer, illuc scripta virentia,
 Vernanti ut addictus parenti
 Perpetuò reuifcat Orbis.

In Translatione sacrorum corporum
 Firminæ, & Olympiadis Patro-
 norum Ameriæ.

O D E.



Obile par Diuum, victrices exere frontes,
 Remoto ab urnis peruetusto marmore.
 Exere, virginei specimen Firmina pudoris,
 Tuoque purpurata Martyr sanguine.
 Exere, Olympiades Romanis fascibus olim
 Consul decorus, mox cruoris murice.
 Iam satis annorum millenis Orbibus urnas
 Sacraftis vno, & altero cadauere.
 Par est, ut templi nunc sitis pulchra superni,
 Diuturna quæ fuistis imi gloria.
 Qualis enim ex imo sol aureus Orbe recurrens
 Orbem supernum luce complet aurea:
 Sic vtriusque patent referatis ossa sepulchris.

No-

Nouumque Templum luce complent coelica
 Vtque idem caput æquoreis cùm tollit ab undis,
 Virescit ampliore terra germine;
 Et genus omnè auium concentibus aerà complens
 Festiuore mulcet antra murmure:
 Sic vtriusque iubar, quod lumina vincit olympi,
 Diuina pandit gratiarum germina.
 Ergo, Amerina cohors, modulos imitata volucrum,
 Bini saluta solis ortum cantibus.
 Plaudite Firminæ ciues, Firmissima vestram
 Quæ firmat Urbem firmiter, perenniter;
 Plaudite Olympiadi, quo Consule Romæ refulsit,
 Et nunc Olympus enitescit Martyre.
 Plaudite vtrique simul: simul altera, & alter olympo
 Pandent beatæ Firmitatis munera.

De B. Hieronymo Æmiliano Somaſchenſium
 auctore à Deipara vinculis exoluto.



Arceris in latebra manicis, & compede
 vinctus,
 Obrutus & noxis, Æmiliane, iaces.
 Ast animo, precibusque Deam, genibusq;
 fatigans,
 Ingemis, illachrimas, noxia facta doles.
 Cumque dolor petat astra, celer Dea labitur astris,
 Materna & soluit vincla precantis ope.
 I modò, liber abi noxa, nexuque solutus,
 Sic Tibi libertas redditur ecce duplex.

De

12

De eodem à Deipara medios per hostes
mirabiliter deducto.



*Atre Dei monstrante viam per tela, per
hostes*

*Erutus è vinclis Aemilianus abit;
Quid Germana phalanx illum non illicò
sistit?*

Obuia nec prohibet praterentis iter?

Maiestas sedenim Domine comitantis euntem

Obcæcat radijs castra inimica suis.

Exorata vtinam maturius illa fuisset!

Iam tunc Aemilius victor ab hoste foret.

De eodem in Eremum secedente.

Hostili exiliens latebra, vinclisque solutus
Germanas acies, Aemiliane, fugis.

Mox ipsam fugis & patriam, carosque penates

Rupis ad exesa concava saxa petens.

Vtra fuga est melior? Te diuidit altera mundo:

Altera Te sociat, Aemiliane, Deo.

De eodem è militia seculi ad Christi
militiam euecto.

Castra nouo Germana fuga; Hieronyme, castro
Voce, manuque ferox, Martis & arte potens.

At fru-

13

*At frustra. Sedenim castrum Germania tandem
Occupat, & diro præda sub hoste iaces.
Bella Dei posthac bellare, Hieronymè; mundo
Et Veneri, & Sathana prælia seu moue.
Hoc facit. & stygias posito mucrone phalanges
Rupis in anfractu dissipat ore, genu.
Ergo quod armatus patriæ non egit in hostes,
Quàm facile in stygios miles inermis agit?*

De fonte ab eodem mirabiliter excitato.

Imperat. & subito latebroso è pumice saxi
Fons scatet irriguis officiosus aquis.
Sic virga fecisse refert sacra pagina Mosen,
Et largo populis fonte leuasse sitim.
Sed maiora tamen præstas, Hieronymè. Virga
Illi opus, vt faceret; sed Tibi verba satis.

De pane ab eodem mirabiliter aucto.

Diuitijs caret Aemilius, modiciq; famescit
Panis inops, fuerat cui prius ampla Ceres.
Se tamen, & socios, cum panis deficit, amplè
Diues alit, Cererem multiplicante Deo.
Quis coniuncta neget sapiens contraria posthac?
Ecce tibi Aemilius diues, inopsq; simul.

De

De eodem agris medente, & inopes pascente.

Ex Isa. 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis:
nolite constituere me principem.

Fertur apud veteres, medicæ quòd nescius artis,
Indigus & Cereris non sibi scepra parent.
Aemilio deserte Patri Regalia, Cives,
Scepra: illumq; humiles æger, inopsq; colant.
Aeger es? ille abigit precibus mala cuncta. Fame scis?
En Patris in gremio calitus aucta Ceres.

Ad Ludouicum XIII. Galliarum Regem
Christianissimum, cum Gustauus
Adolphus minitaretur Italiae.

*I*am viperinis vncta cruoribus
Sueca Erynnis finibus Italis
Heu heu propinquat, liuidoque
Tartareum vomit ore virus.

Iam nostra findit pectora cuspide
Tyrannus atrox. Quis sopor occupat
Heroas Orbis Christiani,
Quos fidei pia cura mordet?

O Rex potentum maxime Principum,
Quem Mars ad axem Gallicus euehit,
Huc bellicosam verte dextram
In caput indomitum Sueci.

Te fulminantem, Gallice Iupiter,
Rupella sensit. fulmina sentiat

Contorta eadem dextera hostis
 Italiae, ac fidei peremptor.
 Non ille feruet viscera findere,
 Sed findere ipsam in visceribus fidem:
 Defende utramq; ò magne vindex
 Italiae, fideique Custos.
 Quæ Roma victis hostibus, ardua
 Ponebat olim marmora Cæsari,
 Se ponet ipsam grata marmor,
 Grata tuo meritum triumpho.

Pro S. Quirino constantissimo Mar-
 tyre Siscianorum Episcopo, & Ve-
 glensium Patrono.

C A R M E N.



Annua festiuam nobis vehit Orbita lucem,
 Qua roseo cinctū niueos diademate crines
 Sidera Pastorem memorant penetrasse
 Quirinum
 Siscia lata suum, Veglensis & ora Pa-
 tronum.

Curua procelloso quid littora percutis æstu
 Illyrici, Neptune, sinus? Violenter ab antris,
 Eole, quid misces euris luctantibus æquor,
 Et Veglense replet immuni murmure cælum?

Sisti-

Sistite, & insanos tandem cohibete fragores,
 Dùm canimus diro partos ex hoste triumphos
 Martyris inuicti, facilemq; ad vota petentum
 E cælo præbentis opem, quam Vegla periculis
 Obsita non paucis vt sensit ab axe potentem,
 Sic petit, vt grato decantet Musa cothurno.

Iàm cultrix in fanda Deum, quam Roma fouebat
 Ethnica religio totum sedauerat orbem:
 Cùm ferus Illyricas Præses legatur ad oras,
 Vt Christum perimat, Sathana vellente sacratam
 Christi adum de corde fidem. Iàm faucibus Orici
 Egressæ Eumenides frontem sine lege comatæ
 Crinibus anguineis, quas fumida vestis obumbrat
 Lethiferis distincta notis, & vipera cingit
 Horrida, virus atrox reuomens ex ore trifulco,
 Extulerant Erebo rigidis cum fustibus enses,
 Armatas ac dente rotas, Scyticasq; secures,
 Fulminis in morem volitantia tela, sarissas,
 Et clauos, clauasq; faces, & plurima sæuæ
 Instrumenta necis, quibus, edicente Tyranno,
 Dextera tortoris peteret truculenta fideles.

Sed simul æthereis delapsa è sedibus Orbem
 Permeat Illyricum, Dom.no miserante, Virago
 Fronte gerens, & corde crucem, redim ita perenni
 Virgineas adamante comas, adamantina circum
 Perpetuò quam vestis obit. Constantia nomen
 Est illi. Sedenim constanti robore firmat
 Inualidas animas, & corda trementia sistit.

Ergo

Ergo per Illyricas vrbes, perq; auia gressu
 Dum properante ruunt stygia, velut vnda, sorores
 Continuis compulsa notis in corpora gentis
 Christiadum, pariter praesens Constantia genti
 Discutiens terrorem animis, viresq; ministrans,
 Prodigia Christicolis animis audacibus implet.

Excellens hos inter erat pietate, fideque
 Nobilis Antistes cano venerabilis aeo,
 Conspicuus sacroq; pedo, sacraq; tiara,
 Pastor Sisciadum Illyrici decus omne Quirinus.
 Hunc Diuina auidis complexa Virago lacertis
 Fortiter ad pugnam patria pro lege Tonantis
 Excitat, atq; animum constantibus instruit ausis.

Qualis Getulo generosa in monte leana
 Viribus exercens catulos per inhospita tesqua
 Edocet cfferri supra venabula sultu,
 Et superare dolos, & retia scindere, & omnes
 Vngue triumphanti passim discerpere nexus
 Et furere in medios oculis radiantibus hostes,
 Qui patrios turbare lares, varijsq; frequenter
 Imbelles agitare feras venatibus audent:
 Talibus inflammat studijs generosa Quirinum
 Caestri delapsa sinu Constantia, fraudes
 Praesidis vt superet, diri viresq; Tyranni,
 Illyricas animas Sathana venantis, & orco.
 Ergo animo constans, & corde Quirinus abeno
 Victima centenis exponi mortibus ardet,
 Vtq; paret genus omne necis, Phlegethonta laceffit.

Et dñm iussa Ioni tortor dare thura negantem
 Vesibus exutum manibus post terga reuinctis
 Præsidis ad nutum repetito verberare pulsat,
 Corporeq; è lacero manantes sanguinis amnes
 Excitat, ipse tamen sublato ad sidera vultu,
 Saxens ut cautes fluctu percussa tumentii
 Perstat, & innumero pulsari verberare gaudet.
 Mox latebra inclusus tenebrofi carceris, arcta
 Compede constrictus flagris laceranda Tonanti
 Offert membra nouis, aspectoq; amne cruoris
 Discerpto fluitantis adhuc de corpore, damna
 Ardet adhuc grauiora pati, totumq; cruorem
 Fundere pro Christo centum per vulnera feruet.
 Nec merito exarsit tantus sine munere feruor:
 Feruida, vix etenim deuoto è pectore vota
 Martyris exierant, radianti lumine carcer
 Cum subito effulsit, cui feruida cedit Olympi
 Orbita, & hostilis latebræ quo squallor, & horror
 Continuo nocturnus abit. Fortissimus Heros
 Insolito fulgore stupet; stupet inscius, vnde
 Carceris, & noctis lux fulgida dissipet umbras.
 Mox tamen exultat Diuino lumine certum
 Luminis aterni noscens in lumine pignus;
 Exultatq; magis, viso cum lumine custos
 Carceris eiurans Marcellus inania prorsus,
 Numina culta prius Christo se subijcit vltro,
 Aspera cuncta pati, mortemq; subire paratus.
 Carmine quis referat, quantis hæc præda flagellis

Torqueat Eumenides? Stridoribus aethera complent
 Horrificis, ac vngue secant sibi pectus adunco,
 Tigridis in morem risonantia plectra perosa.
 Vtq; minus memoret totum vulgata Quirini
 Fama per Illyricum constans in pectore pectus,
 Spretaq; Marcello fallacia numina, mentem
 Præsidis extimulant, alias vt mittat ad oras
 Siscia ab vrbe virum rigido sub fasce necandum.
 Paret atrox Furijs, collumq; senile catenis,
 Ferrato nexuq; manus, & brachia vinctus
 Sub multo rapitur custode satellite Martyr,
 Quà vagus excurrit collectis annibus Ister,
 Et pede Pannonios fluitante perambulat agros.
 Opportuna iterum Diuina hic munera sentit
 Hospes opis; Nam longa via fastidia passo
 Fercula feminei præbet pia dextera sexus,
 Quæ vt capiat, manibus dura ferrata caten
 Vincla repente cadunt, oblata pastus & esca
 Absentes reuocat ieiuna in viscera vires.

Stridorem Eumenides repetunt, tumidaq; veneno
 Anguineos tollunt subrecto è vertice crines,
 Rursus & vngue fero sulcant sibi pectus, & ora,
 Pannonioq; mouent seuas in Præside flammæ,
 Vt tandem absumat crudeli funere Diuum,
 Nomen & orbe patens lethæa fluenta Quirini
 Amne bibant memorandum vllò non amplius euo.
 Dumq; neces varias rabido sub pectore versat
 Præses atrox iras Furijs agitantibus, illum


Tollentem multa Diuinum laude lauacrum,
 Intima quod veteris purgat contagia labis,
 Mergendum decernit aquis, quæ Sibaris unda
 Præcipitante fluit, vitalis vt occidat ipsas
 Inter aquas laudator aquæ. Iam Præsïde dirum
 Edicente scelus, fluuij properanter ad undas
 Pertrahitur, quò multa ruit denso agmine turba
 Præcipitem visura senem, cui saxea quamuis
 Machina colla grauet sublimi in fornice pontis,
 Impauido stat corde tamen. Coeli ostia cernit
 Dumq; reclusa sibi, valido impete pulsus ab alto
 Protinus ecce ruit subiecta in flumina præceps.
 Nec Furia tamen ex tanto sibi gaudia lapsu,
 Letitiamq; trahunt. Quin pectus, & ora secantes,
 Plus solito stridore fremunt, dum pondere quamuis
 Colla grauis Martyr, res mira! supernatat undis,
 Donec voce potens animato ad prælia mortis
 Christiadum cætu, nomen vitale salutis
 Ingeminans, placidè fluuio demergitur imo.

Interea, data cui fuerat iam matris ab aluo
 Calitus infantis tutela paterna Quirini
 Aliger empyreæ pubis comitante maniplo,
 Vexit ubi victricem animam super astra, perennes
 Ducturam ex Furijs celo plaudente triumphos,
 Rursus ab axe volans rapidi petit ima fluenti,
 Corpus & innocuum tollens ex anne profundo,
 Mirandum populis viridanti in margine sistit.
 Huc fama, Illyricas quæ factò impleuerat vrbes,

Pannoniasq; plagas populos vocat vndiq; pandens
 Exultante tuba toleratæ prælia sæuæ
 Inuicta virtute necis: dumq; eminus efflat
 Delicias roseum Diuini corpus odoris,
 Et morbi genus omne fugat, non vna Quirinum
 Vrbs ex finitimis poscit deuota Patronum.
 Posterior nec Vegla fuit, de marmore templa,
 Quæ strueret solido, & sacras componeret aras
 Thure vaporatis ardentes ignibus, vnde
 Commemorans fidei mysteria sacra Sacerdos
 Ipsi etiam cælo semper venerabilis, orbem
 Triticeum, calicemq; manu sustollit utraq;
 Excipit hîc populi facilis pia vota Quirinus,
 Et puro de corde preces, quibus ira Tonantis
 Iusta remollefcit meritis placata Patroni.
 Hic Cereri sî quando cadens minitatur adultæ
 Aethere præcipiti valido cum verbere grando,
 Annuit optatis querulo vix ore rogatus,
 Et celer horrenti nigricantia discutit axe
 Agmina nimborum, cælumq; serenat, & orbem.
 Hic cum fæda lues reliquas consumeret vrbes
 Littoris Illyrici miseros populata colonos,
 Incolumes ardente suos à peste clientes
 Munere seruauit patrio, labesq; maligna
 Veglensi stetit vrbe procul. Ferat ergo Quirino
 Conferta sine fine manu redolentia thura
 Vegla memor meritis tam magni obstricta parentis
 Tuq; parens, columenq; potens, sanctissime Præses,

*Obsequio deuota colet quem Vegla perenni.
 Respice, vise tuos sublimi ex aethere vernas,
 Et radiante pedo, Furijs in tartara pulsis,
 Carcere diffidium aeterno ciuile coerce,
 Proximus vt coeant deuota in fadera ciues,
 Frondeq; Palladia præincti tempora, cernant
 Tùm flauæ messem Cereris, tùm dulcis Iacchi
 Pocula, tùm liquidi oblectabile munus Oliui
 Nonnisi composito succrescere pacis ab agro.
 Fac Tibi cùm sauo certanti Præsidae vultu
 Astitit inuicto quæ iam Constantia, lapsu
 Se facili huc referat virtutum septa manipulis:
 Nutantes firmetq; animos in limite recti,
 Quos neque blanda Venus luxu, neq; callida Circe
 Insidijs ad turpe scelus seducat iniquis,
 Seu recto de calle minax deterreat hostis.
 Sic mage iucundis redolebit thuribus ara,
 Offeret innocuo quæ pectore Vegla Quirino.*

*Ad Illustriss. Aloysium Lombardum Patritiũ
 Venetum Prætorem Veglę in eius discessu.*


*On tibi de pario ponunt miracula saxo
 Ardua Veglenses, qualia Mæphis habet.
 Te pietas, Te iuris amor sup aethera tollũt:
 Est Tibi marmoreũ quoalibet impar opus.
 I tamen, I felix. Veglę dũm mænia surgent,
 Lombardo semper Vegla colossus erit.*

Ad

Ad P. Matthæum Ferchium Veglensem
ex Ordine Conu. S. Francisci
Virum sapientissimum.




Ferchi decus additum Liburnis,
Et Veglæ iubar, & Iubar sophorum,
Non solum Patavina quot palestra,
Sed quot Palladia dedere Athenæ,
Et quot Græcia docta procreavit,
Quid semper Patavi moraris, Urbem
Paternam quasi dixerim perosus?
Sol nunquam spatio moratur vno,
Sed vnde exoritur recurrit illuc,
Formosum iubar asserens eois.
Ergo, Tu quoque sol scientiarum,
Naturam celer æmulare solis,
Et caras Patriæ recurre ad oras.
Recurre, & Sophiæ nitore ciues
Illustra heu nimis, ac nimis sepultos
Squalore, ac tenebris. recurre velox.
O quantis tua plausibus sonabit
Vegla Te redeunte. Gloriatur
Non sic frugiferis superba campis,
Non sic triticea superbit vnda,
Non sic purpurea tumescit vva,
Non sic vernicoma ferax oliua
Effertur, pecorisue opima fetu,

24

Non sic squammigero natante catu,
 Non sic pennigera volante turba,
 Aut fera umbriferis vagante siluis,
 Ut tanto ambitiosa Vegla ciue.
 Iactet Mercurios suos Canopus,
 Socrates celebrent suos Athenæ,
 Et suos Stoa nobilis Zenonas,
 Atq; Aristoteles suos Stagira:
 Iactabit quoque Vegla se decoram
 Te, Ferchi, nihil inuidens Achivis,
 Sed priscis Pharij sphis Canopi.
 Sed solum Pataui inuidet lycao,
 Quod Te plus nimio tenet morantem.

De barbarorum triremibus expugnatis
 ab Illustris. & Excellentis. MARINO
 ANTONIO Capello pro Se-
 renis. Venetorum Republica
 maritimæ classis Præfecto.

O D E.


 Onora ponti saxa longè personent
 Nomen CAPELLI barbarorum mallei.
 Nunc fama famam, dein secunda tertiam,
 Et ista quartam, quarta gignat alteram,
 Et ista plures absq; sine proferat,

VI

Vt absque fine fama pandat multiplex
 Tubis per oras orbis obstrepentibus
 Nomen CAPELLI barbarorum mallei.
 Destruxit ipse nauitas piraticos,
 Et Christiana liberauit aquora
 Ex barbararum viribus triremium,
 Quæ Regna pridem dissiparant Gnoſſia,
 Et oppida ampla diuitis Calabria.
 Heu vagientes audio puellulos,
 Dulci parentis quos reuellit vberē
 Pirata dirus. audio eiulatibus
 Sonare tecta virginum frementium,
 Quas Turca fedas raptat ad libidines.
 Quis aduolutos dicet ignes prædijs?
 Quis concremata templa? quis sacraria?
 Iamq; hostis atrox insolens victoria
 Secabat equor improbis triremibus,
 Iter capescens, quæ tumescit Adria
 Picena fluctu verberando littora
 Domus sacrata diruturus limina
 Verenda sacro Matris ortu Virginis,
 Et Gabrielis consecrata nuntio.
 O sacra Tecta cincta puro marmore,
 Quæ multa oliuo plena lampas aurea
 Collustrat ardens, & nitore gemmeo
 Dices nitore comparanda syderum.
 Saluete, sacra tecta, quæ fidelium
 Diebus anni turba multa singulis

Deuota flexo saepe uisit poplite,
 Et Nazarena vota soluit Virgini.
 Sudat Sabæa quicquid arbor myrrheum,
 Eoa quicquid ora profert aureum,
 Marina concha quicquid edit gemmeum,
 Insigne diues quicquid edit India
 Magnæ Parentis offerunt Imagini
 Extremo ab orbe confluentes aduenæ.
 Auri execranda percitus libidine
 Infamis huc per alta ponti classicas
 Rates agebat Christiano remige
 Pirata Vento displicante carbasa:
 Cum Virgo Mater, quæ triremes Adriæ
 De more seruat barbarorum vindices,
 Iniqua sensa barbarorum dissipat.
 Repente namq; Classis atrox territa,
 Triremibus per æquor insequentibus,
 Quibus, CAPELLE, sub Leone præsidet,
 Fugax recedit, seq; condit abdito
 Portu sub arce Aulonis. Instat acrior
 Classis CAPELLI: nec pauescit ictibus
 Tonantis arcis, barbaramq; subiugat
 Pugnando classem, moxq; mergit equore,
 Corcyra latis quæ superbit portubus.
 Sic vi CAPELLI barbarorum mallei
 Demersa ponto immanitas piratica:
 Sic vi CAPELLI nauitarum vindicis
 Emersa surgit æquorum tranquillitas.

Hinc Regna Cretæ gestiunt, & numinis
 Cithera concha concinenda Cyprij;
 Gestit Zacynthus insularum flosculus:
 Et quam perornat portus Argostolij
 Vlyssis altrix ampla gestit insula:
 Corcyraq; olim pensili pomario
 Famosa; Hydruntum gestit, & Calabria
 Tot passa clades, Adriæq; littora,
 Piceni & vrbes, quotquot æquor alluit
 Canunt CAPELLI barbarorum mallei
 Insigne nomen, propriumq; prædicant
 Vbiq; fama personante vindicem.
 Ergo per annos tantus Heros Patriæ,
 Et Christiano viuat orbi plurimos,
 Qui Christiani vicit hostes nominis,
 Cladesq; tantas vindicauit patriæ.
 Tuq; ordinati Mater instar agminis
 O Virgo Lauretana, cuius dextera
 CAPELLI ab axe roborauit brachium
 Ad barbarorum destruendos impetus,
 Fac viuat Heros victor annos Nestoris,
 Nouasq; semper assequatur laureas,
 Innoxiamq; sospita Rempublicam,
 Quæ Christiani fulget orbis gloria.

Ad eundem.

Dum Mare piratis, Heroum maxime, soluis,
 Et facis incolumes soluere posse rates:
 Se mare, seq; rates, se nauita poplite flexo
 Solut ad obsequium victima vera tuum.
 Quid mihi Tyndaridas pelagus purgasse periclis,
 Atque astra effectos fabula prisca refert?
 Tu maris ò vindex, vbi longum vixeris æuum,
 Non astrum fies: ipsa sed astra teres.

De eodem.

Qua facies tranquilla maris? fluctusq; sonantes
 Quid modò placatis detonuere fretis?
 Scilicet immanem renuebant æquora classem,
 Sueta Adriæ placidum sponte subire iugum.
 At nunc magnanimi virtute redempta Capelli
 Sternuntur placida, lenis vt amnis, aqua.
 Siq; iterùm surgent, surgent vt celsa Capello
 Pyramidis moles obsequiosa suo.

De eodem.

Æquora barbaricis temerata triremibus olim
 Pandebant nautis insidiosa vias.
 Iam pridem aduersa soluebant alite naues:
 Nauesq; & nauta præda latronis erant.
 Nunc,

Nunc, quoniam est classis prædatrix præda Capelli,
 Gaudeat æquoreos nauta secare sinus.
 Tuq; redi in pelagus, pirata. secante Capello
 Aequora, pirata viscera parca secat.

De eodem.

Libera Roma fuit pereunte Nerone. statimque
 Pileolo in plausus gens redimita ruit.
 Detectus sedenim signat seruilia vertex:
 Pileolo obtectus libera corda refert.
 Dum premis æquoreos, generose Capelle Neronos,
 Pristina libertas redditur ecce mari.
 Præficiet quoties ponto suprema Capellos
 Adria, liberior nauita semper erit.

In obitu adolescentis optimi Francisci
 de Cancellarijs Patritij Veglensis.

O D E.

Viuere Nestoreos fueras qui dignus ad annos
 Primo iuuentæ flosculo
 Heu moreris, Francisce, domus bona cu-
 ra paterna,
 Patrisq; lux, & Patriæ.
 Corrigor. haud moreris: cæli sed in axe moraris,
 Quò te senilis extulit.

30

Virtutum cumulus, probitas, moresq; modesti,
 Beneq; candor indolis.
 Si Patria hæc nosset, tantis non funus obortis
 Rigaret vda lacrymis.
 Quin tibi tam properè quasitas athere palmas,
 Ipsa inuideret anxia.
 Hinc sedenim te sacra dies coeli excipit aulis,
 Qua turba Regem Coelitum
 Excepit solyma pueris plaudentibus vrbe
 Palmas triumphi simbola,
 Paciferæq; ferens frondentia germina oliuæ:
 Vt noscereris scilicet
 Promeruisse tibi victricia munera palmae,
 Veræq; pacis premia.
 Intereâ aterna felix dum pace potiris,
 Precare pacem Patrie,
 Et Patri, fratrig; dolor quos conficit atrox
 Solamen affer coelitus.

Ad Antonium Fulgosium.

O D E.



T primū ingrederis logicen, Fulgose, fluenti
 Egressus amne Rhetorum,
 Protinus obnubi sentis caligine mentem.
 Fulgosus & qui eras modò,
 Te nunc difficilis Pallas rationis obumbrat

Cali-

Caliginosis entibus.

*Nec mirum ; inuertis logica si grammata , nomina
Ipsum dabunt caliginis.*

*Ast aude , Fulgose , tamen : caliginis umbras
Fulgor fugabit ingeni ;*

*Nomineq ; ut proprio Logicen deludis , eandem
Sic re capeſſes intimè.*

*Ad Sereniſſimum Franciſcum Lomelli-
num Genuæ Principem , cum eo vix
electo hoſtiles in Remp. rumores
detonuiſſent.*



*Vrentè nuper Marte Liguſtici
Labaffe molem vidimus Imperi ,
Dùm Gallus atrox , dùmq ; durè
Exitium Allobroges nuntantur .*

Sed Diua poſtquàm docta bilancibus

*Pensare ſacris Te diademate ,
Princeps , coronauit merentem ;*

Et patrio decorauit oſtro ,

Veneno Erynnis turgida Gallico

Repentè cedens , ocior africo ,

Demiffa vultum , paſſa crines

Ad ſtygias remeant vndas .

Vt iure tantum Ianua Principem

Enacta Iani ſæcula neſciens ,

Ere-

32

*Erecta vultum, passa crines
Palladijs potiatur auris.*

**Ad Nicolaum Saulium Patritium Ge-
nuensem disertum adolescentem.**



*M*este animo Sauli, calamo dum Nestoris
usus

*Commisces lepidis verba diserta modis,
Ne ruat in præceps latæ faciûdia linguæ,*

Tullius attonito cernuus ore tremit.

Te sedenim firmata virum cum fecerit atas,

Qua dabis, impubis cum benè culta feras?

*Auguror .vt Latium Liguri, sic Te auspice posthac
Sufficiet Latio mella diserta Ligur.*

**De libro eiusdem, quem Laurentio
Centuriono Patritio Genuensi
nuncupauit.**



*F*lamina non pauitat centum, non fulmina
centum

Nescia Centeno Laurus ab axe peti.

Et Tua Centeno munimine prædita virtus

Centenas ridet, Centurione, vices.

I Centena liber victurus secla sub vmbra

Lauri: non alibi vinere plura potes.

No-

Nomine Iulij Cæsaris Pallauicini Patricij
Genuensis ad Augustinum Patrum.



*Il patria, & patruo mihi dulcius. Inde
recurrunt*

*Sæpe mihi ante oculos patruus, & patriz.
Mens recolit patriæ ciues, sanctumque*

Senatum,

Templa, hortos, ædes, atria, delicias.

Mox recolit patruï cultæ radiantia mentis

Lumina virtutes, eloquium, ingenium.

Si dulcis patruo me reddat patria: sique

Me dulcis patriæ restituat patruus;

Patria me ciuem repetet, patruusq; nepotem:

Vtriq; & gratus ciuis ero, atq; nepos.

In obitu Marini Caballi Patricij Veneti.



*Runcaret Lachesis dum vitæ pensa CA-
BALLI,*

*Vna hæc non morior vox morientis
erat.*

*Nec fuit absimilis facto vox. Astra CA-
BALLVS*

Cùm teneat, dubitas, sitne superstes adhuc,

Vincentia sanctorum Reliquijs
benè munita.



*Icentina vetus vix pergama murus obam
bit,*

*Turris & hostiles vix fugat una ma-
nus:*

*Quod tui tutamen erit? quæ obstacula Marti
Aduerso? Quonam barbarus ense ruet?
Sollicitos deponere metus: Tibi mania, Turres,
Armaq; sunt sacræ bellica Reliquiæ.
Non alijs hostem Vincentia vincis vtrumq;
Sic à vincendo nobile nomen habes.*

De Titiano Vecelleio Titiani pictoris
eximij nepote oratore disertio, & mi-
lite strenuo.



*Re fuit dextraq; potens Vecellius. ore
Mercurius: dextra dextera Martis erat.
Mella inerant ori: radiabat fulmine dex-
tra:*

*Servant patrium voxq; manusq; solum.
Magne, Nepos, Titiane tuus. Pròb stemmata quanta
Effingenda nepos exhibuisset auo:*



Laudes Zacynthi.



Insularum floscule, gemmula,
 Zacynthe, ponti pulchra Corinthij,
 Quod me potenti numen esto,
 Te ut recinam violenter vrget?

Quàm grata fessis eminùs emines
 Conspecta nautis. Germine florido
 Præcincta frontem dum virescis,
 Ionij natat hortus undis.
 Pinus remotis plurima finibus
 Tuis frequenter portubus adnatat:
 Nec letiori tangit vllum
 Remigio ratis acta littus.
 Soluta navis littore Belgico,
 Vel Gallicano, siue Britannico
 Exultat oris appulisse
 Vsq; tuis opulenta merce.
 Hispana puppis candida displicans,
 Altum per æquor carbasa, prosperè
 Tunc experitur flasse ventos,
 Cùm tibi se recipit propinquam.
 Quæ navis ora soluitur Itala,
 Quæ navis ora fertur Achaica,
 Orat Zacynthi littus, orat
 Vt sibi sit requies Zacynthus.
 Ardet Zacynthi littora Cyprij
 Solutus oris nauita. fertilis

36

Ardet Canopi cultor, ardent
 Moschus, Arabs, Scytha, Persa, & Indus.
 Mari vagantes scilicet aduenas
 Iaccus alto vitifer allicit;
 Passimq; passæ pandit vuæ
 Munera, delicias salubres.
 Ratem rotatam fluctibus hosticis
 Hic federato copulat æquori
 Portu receptam Pallas altum
 Paciferis caput aucta sertis.
 Amicta pectus syrmate cedrino
 Pomona pontum complet odoribus.
 Sic nauita portus secundo
 Flante noto subeunt odoros.
 Defessa nusquam roscida melleis
 Apis reponit nectara cellulis
 Sic melleos portus amaris
 Nauta subit properans ab vndis.
 Nec mella tantum floris Hymetij
 Reddunt Zacynthum dulcia melleam,
 Sed ciuium dulces lepores
 Efficiunt mihi dulciorem.
 Vix namq; lapsum puppe GEORGIVS
 Me SERRA neruis dulcibus excipit,
 Musis amicus SERRA Etruscis,
 Et decus eloquij forensis.
 Quod si voluptas me trahit intima
 Sacra sciendi dogmata Palladis,

Arca-

*Arcana quamuis edocente
 Omnia Rastopulo patescunt.
 Sectari alumnos si Themidis iuuat,
 Et sensa puris è penetralibus
 Haurire legum delibrata
 Non dubia superum bilance,
 Fulgent SECVRVS, ROMA, PAIDIVS
 Iucunda iuris lumina Patria,
 Quorum salubri solis instar
 Consilio radiat Zacynthus.
 SVMMACHIORVM Musa sed aureos
 Silere mores abnuat. impetu
 Quin acta sacro feruet unum
 Saltèm humili celebrare plectro.
 Decus Zacynthi dico GEORGIVM,
 Quem vix datum auris blanda modestia
 Excepit vlns, & decentes
 Vbera cui Charites dederunt.
 Non illum auiti stemmata sanguinis,
 Non ampla pinguis iugera prædij,
 Non Patriæ plausus fauentis
 Cæruleum per inane tollunt.
 Sed ore mitis, pectore mitior
 Adest egenis prodigus auxili:
 Et Patriæ plausus honoros
 Voce, ope restituit fideli.
 O hisce felix Insula ciuibus,
 Excresce seclis leta perennibus,*

38

*Vt ciuium semper virescas
Consimili renouata caru.*

Veneris etymon.



Componit Veneris duplex monosyllaba no-
men:

*Ve, nusq; Hæc mentem, sed sonat illa
sine.*

*Est sine mente Venus: Veneris sine mente sequaces.
Conueninat ipsis nomina nulla magis.*

AD FRANCISCVM CENNINVM
Episcopum olim Ameriæ, nunc verò
Cardinalem Eminentissimum in
solemni eius ingressu.



Ingrede, o Præsul, niuea redimit
thiara,

*Dùm ruit in plausus vrbs Amerina:
tuos.*

Non illa antiquos posthac iactabit honores:

Nàm decus euincit stemmata prisca nouum.

Cælum illi vitale, salubris & aura: sed vna

Tu modò, Pastor, eris vita, salusq; gregis.

Ergo gregis, Cennine, sa'ns, & vita decusq;

Vine diu: grex Te sospite sospes erit.

Ad

Ad eundem cum redijt sacra purpura
decoratus.



Ennive, ad fueras Amerino cœculus urbi:
Quæ gemit impatiens, cum bone Pa-
stor, abis.

Mox, ubi Te cernit redeuntem in murice,
plausu

Exilit: & dudum se gemuisse gemit.

Rursus abi, non illa gemit. Namq; urbis, & orbis,
Auguror ex nostro Præsule pastor eris.

Pro eodem de eius stemmate.

VT primùm Danao repletus hoste
Troiana penetravit urbis arcem

Equus Dardania grauis ruina,

Lethalis vomuit faces furoris.

Vt primùm Tyrio decorus ostro,

Ad nostræ remeavit urbis oras.

Præsul officio grauis paterno,

Vitalis retulit faces amoris.

Quid mirum, face Præsulis colubra.

Si viuit radiante non perusta?

CENNINOS Danaus petisset ignes?

Adhuc Dardanidum domus maneres.



40

Ad eundem de eius stemmate aliud.

Ciuitate procul, monemus, ista,
 Viator, fuge, qui molestus intras;
 Viator, fuge, ne nocens recedas.
 Sacris ignibus hæ notantur ædes,
 Vt quondam paradifus, obserabat
 Quem flamma vigil aliger minanti.
CENNINVS vigil aliger tuetur
 Sacro stemmatis igne ciuitatem.
 Ergo, si sapis, innocens recede,
 Flexo simpliciter genu: laresq;
CENNINO venerare dedicatos.

Aliud ad eundem de eodem.

Cæruleus est orbis. micat ignis. viuit in igne
 Aurea sidereis picta colubra notis.
 Præfulis ille color signat decus. igneus ostrum.
 Sidera Cælestis iura suprema fori.
 Cæruleus iam, Præful, eras. nunc igneus ostro.
 Restat, vt astra etiam sub tua iura fluant.

Ad eundem de eodem.

Tanta tuæ est menti, Cennine, modestia, quantam
 Stemmate de patrio picta lacerta docet.
 Quamuis perpetuo Salamandra refulgeat igne,
 Stat

*Stat tamen in medijs intemerata rogis .
Quamuis purpureo flammescas, Præsul, in ostro,
Mens tamen in Tyrijs intemerata togis .*

Pro Placido de Marra Episcopo Mel-
fiensi in eius regressu ad Urbem
Melfiam.



*M*elfia milla Tibi dant nomina . Pastor
abeset

*Dùm Placidus, poterant iure aco-
nita dare .*

*Hoc redeunte, iterùm fis mellea : namq; deserto
Melleus è Placidi profuit ore latex .
Ergo mellis habens à nomine, Melfia, nomen
Acceptum Placido mella referta refer .*

Martini Angli, olim in Græcia merca-
toris optimi Tumulus.



*M*artini hic cineres . Dedit Anglia, Prisca
Corinthus,

*Græciaq; in genuum sensit amica vi-
rum .*

Non mercatus opes : opibus mercatus amorem :

Non obiit senio, sed probitate senex .

Composuit duplex monumentum Henricus amico;

In se unum, hic aliud : marmor id, illud amor .

In

In natali die Henrici Angli, qui fuit
obeunte Aprili, & ineunte Maio.



*Lauditur Aprilis, Maiusq; recluditur ortu
Henrici. Quidnā muminis ista tenent?
An quā quicquid habet præclari mensis
vterque*

*Certatim Henrico mensis vterq; dedit?
Scilicet Henrico cū Maio ridet Aprilis:
Dūm maiestatem floridus ore gerit.*

Ad Ludouicū Iacobillum de annali-
bus Vmbriæ, quos elucubratur.

D*um, Lud uice, Tuos ex vmbriis exiis Vmbros,
Vmbrorum meritò diceris esse iubar.*

Ad Valeriū de Ponte Archipresbyterū
Iadræ moribus, ac litteris ornatissimum.

O D E.

C*oelestis Iaderam. cumulauit dextera multo
Felicitationis munere.*

I*ncolumen recreat Iaderam clementia Coeli
Ad lustra felix plurima.
Hallantur validis Iadercensia pergamina muris
Ab hoste tuta proximo:*

Hostilesq; manus nunquam perterrita terrent,
 Celsaq; ab arce fulminant.
 Excipit amplexu portus Iaderensis amico
 Sæui per æstus æquoris
 Undiq; iactatas ventorum turbine pinus
 Ratesq; seruat exteras.
 Hoc tamen in primis Iaderam felicibus ornat,
 Quòd ciue plena plurimo.
 Insignes pietate animas ostentat: & hæc
 Sublimis inter emicas,
 Gemma sacerdotum, VALERI, pretiosa, supernos
 Qui Pontis instar ad lares
 Transuehis exemplo lacrymarum. è valle fideles;
 Qualisq; in arcem milite
 Per Pontem inuecto, Pons ipse leuatur in arcem:
 Sic Coeli in arcem ciuium
 Millibus inuectis duce Te, Te Ponteq; in arcem
 Et ipse Pons leuaberis.
 Ciue tamen, VALERI, multos feliciter annos,
 SEBASTIANI candida
 Germani donec proles Tua cura Nepotes,
 LANTANA quam coniux dabit,
 Et Patris, & Patruï surgat virtutibus aucta.
 Instructa, ut hisce Pontibus
 Coelica perpetuò Iaderensibus ostia pandat
 Arcis superne Regia.



Ad

Ad Leonardum Mocenicum patricium
Venetum de eius Philosopho
Peripatetico.

N Estoreo assuetus calamo dum pingis alum-
num
Palladium, Veneti lux, Leonarde, soli,
Te Sophon insignem Pallas: Te Rhetora Rhetor
Suspicit Arcadius; Tàm benè utrumq; geris.
Sifne Sophos, Rhetorne magis sed dicere nutant:
Tàm benè lingua notat Rhetora, mensq; sophon.
Dicam ego. Mente Sophon referens, & Rhetora lingua,
Lingua Mercurium, Pallada mente refers.

De stemmate Aurelij Archinti Episco-
pi Nouocomensis, cui Philippus
Patruus cesserat Episcopatum.



Ræfulis hoc stemma est, totoq; in stemmate
pontus.

Cur ratis æquoreos non secat vlla si-
nus?

Fortè olim. at postquam portus intrare
secundos,

Nauta dedit senior, littora nauis amat.
Nunc, quoniam subit Aurelius, mare læta secabit,
Aurelij faciles dùm dabit aura vias.

Hu-

Humanæ fidei etymon.

S I fidem à fieri, simulq; dici
 Derivat sale Tullius fideli,
 Vix fides reperitur vlla terris.
 Plures plurima plurimis vicissim
 Lato sæpius ore pollicentur.
 At quis pollicitum fidele seruat
 Obfirmans faciendo dictionem?
 Non fideliter ergo, Marce Tulli,
 A dici, ac fieri fidem vocasti.
 A fingendo fidelius vocasses.

De Maceratensis Rotæ Decisionibus,
 à perillustri & admodum Reuer.
 M. ANTONIO THOMATO
 I. V. D. præstantissimo dili-
 genter elucubratis.

O D E.

Ecce liber, currente Rota, velut amphora prodit,
 Non vina fundens Massica,

Nec

46

Nec mella, Hyblæo quæ stillant ilice : sacri
Sed pura Iuris pocula.

Hanc currente Rota instituit, currente peregit
Picentis orbis orbita

Gloria Thomatus curæ præclara forensis,
Pligæ decus Ligustica.

Hûc auidè qui iura sitis, festinus adesto,
Sacrumq; librum pellege.

Pellege, dumq; bibis sacrarum nectara legum,
Quæ docta fundit amphora,

THOMATI ingenio grates refer. Illius arte
Tornata prodit ex Rota

Picena: hincq; suo vitali nectare molcet
Picena primum viscera

Mòx reliqua. Aetherei quidnam Rota feruida solis
Vnquam dabit salubrius?

Pro Laurea ingenui Iuuenis Ioannis
Securi Patricij Zacynthini.

C A R M E N.



Labere iam solijs, Astræa Virago, supernis
Exul ab orbe diu facilis non amplius orbe
Discessura redi: et referens ex axe bilæces
Innocuos hûc verte pedes, ubi Palladis arte
Vrbs Patani, non solum æquat, sed vincit Athenas.
Labere, tolle moras: Iuuenisq; decora Zacynthus

Pa-

Patricijs quem duxit anis de stirpe SECVRA
 Tempora purpureis præcinge decentia sertis,
 Seu mage gemmiferis, Calo plaudente, coronis.

Ingenio hic præstans, & captus amore sciendi
 Me duce, suspectis cum vix adolesceret annis,
 Otia, delicias, & noxia pocula Circes;
 Syrenumq; sonos, Venerisq; pericla perosus
 Facundo de fonte bibens feliciter hausit
 Nestoreos latices, & mella fluentia Tulli.
 Sed tamen illectus tantæ dulcedinis hausit
 Anfractus logicos mea per vestigia recto
 Haud timuit, celeriq; gradu percurrere mentis.
 Intima mox Physici penetrans arcana Lycei
 Ingenio excerpfit facili latitantia rerum
 Principia, & causas. Vtriusq; sacraria Iuris
 Inde fores alio subijt referante Magistro,
 Inter præcipuos adscriptus & ipse Magistros.

Illud at in primis fas est, ut sera nepotum
 Agnoscat series, ac totum fama per orbem
 Voce tonante ferat; Iuuenem præstantibus ausis
 Quod nihil à recto potuit deflectere cursu,
 Dum properaret amans Patauinæ ad Palladis artes.
 Non fratrum aspectus, facies non cara parentum;
 Non Patriæ tam dulcis amor, non tæda iugalis,
 Non iuvenile potest quicquid corrumpere pectus.
 Obstetit ò quantis oculos suffusa fluentes
 Sponsa recens lacrymis! Quibus, ò quibus illa penates
 Questibus impleuit, thalami dum patria consors

Litto-

Littora desereret! Iuuenis sed nescia flecti
 Mens immota stetit, non questibus acta parentum,
 Non fratrum precibus, non coniugis excita planctu.
 Qualis, Carpathio quæ surgit ab æquore, cautes,
 Fluctifono percussa licet violenter ab æstu,
 Seu validis inuasa notis, hiemantia ridet
 Agmina ventorum, fluctusque inuicta tumentes
 Temnit, & innocuum sustollit ad æthera marmor:
 Sic Iuuenis mente ante alios constantior omnes
 Ad fratrum questus, ad mollia verba parentum,
 Coniugis ad lacrymas animo persistit abeno;
 Finibus & patrijs animosa mente recedens,
 Non secus, ac Samium fama est fecisse Magistrum,
 Ionias rate currit aquas, Adriamq; sonantem,
 Et Veneti vada multa freti: pelagoq; remenso
 Pallada lintre sequens faciles contendit ad Istros,
 Illyricos penetratq; sinus, portusq; subintrat,
 Vegla ubi se tollit sedes antiqua Liburnum.
 Auribus hic Physicen exhaustit pectoris, & quæ
 Non paucis arcana Sophis natura negavit,
 Interiora licet, perspexit acumine mentis.
 Hinc iterùm pelago vehitur, facilisq; recurrit,
 Cecropia stimulante Dea, maris arua remensi:
 Et gemini dùm mente sitit sacra dogmata Iuris,
 Tendit ad Euganeos, Pataui succedit & urbi.

Hic Iuuenem cõplexa Themis per amanter amantem
 Excipit, & patrijs excultum legibus ardet
 Nobile Palladia caput insignire corona.

Vtq;

Vtq; videt, remeasse poli de vertice Diuam
 Librarum Dominam, nimia dulcedine cordis
 Exiliens subitis Natam complexibus ambit;
 Et mox orsa loqui, Proles mea dulcis, adesto
 Opportuna, inquit: nostriq; recentis Alumni
 Tempora promerita cingamus frondis honore.
 Ergo Parens, & Nata simul de fronde corollam
 Elysia intextam, folijsque virentis oliuae,
 Quercusque aeriæ, laurique ex arbore sacra
 Dilecto imponunt capiti, frontemque coronant.
 Nec satis id reputant. Sedenim dum mente reuoluunt
 Inuicti virtutem animi, qua tecta parentum,
 Atque maritales liquit pro Pallade tedas,
 Adiungunt adamanta comis, viridesq; smaragdos,
 Et præfulgentes accensa luce pyropos,
 Gorgoneos orbes, gemmarum germina baccas,
 Et quoscunque parit tellusq; salumque lapillos,
 Virtutes Iuuenis vario qui schemate signant.
 Nec tamen est Iuueni decus hoc præstantius. Illum
 Nam Themis, ac Themidis Proles vis intima legum
 Excipiunt medium, laterique fideliter hærent.
 Nil aget, Astræ nisi dextera dirigat actus,
 Nil vnquam dicet, nisi quæ dicenda probarit
 Auribus alma Themis. Sic actaque, dictaq; Iurî
 Consona semper erunt librata bilancibus æquis.
 Ergo agè nunc, Iuuenis iuuenum lectissime, sedes
 Te refer in patrias, gentes vbi mollia posthac
 Otia securæ peragent virtute SECVRI.

50

Tu sedenim, si quando ferox inuadat Erynnis
 Ciuiles animos, repleatque tumultibus urbem,
 Compones placidis pugnancia corda loquelis,
 Compesces validis discrimina tetrica dictis.
 Et fera mitescent positis certamina rixis.
 Tu, si quando anceps agitet sententia mentes,
 Consultus secura dabis responsa petenti,
 Et scissos annos studia in contraria sistes;
 Vnde Sophos inter, quos Gracia fudit, & ipsa
 Gaudebit proprio felix Sapiente Zacynthus.

S. ANDREAS APOSTOLVS
 Crucem suauiter amplectens.

CRux Tibi mors fuerat, Christe. est mihi vita. sed
 vnde hoc?
 Nam Tibi mors fuerat, quò mihi vita foret.

PIVM S. BLASII MARTYRIS
 lacu demersi suspirium.

CEn piscis demergor aquis. rape, Christe, me ad
 astra.
 Tu piscator eris. piscis ego. Hamus amor.



Ad

Ad Illustrissimum
IOANNEM FRANCISCVM
Lauretanum Patricium Venetum.



*Il tam perpetuum, quod eximatur,
LAVRETANE, situ. Obstinatiori
Quicquid duritie rigescit, ævum
Consumit. Rigida resecta rupe
Cedunt marmora tempori: leuantur*

*Ferro pondera: & æra consenescent.
Virtus sola nequit mori, bonique
Constans gloria nominis perennat.
Quàm stultè sibi consulit, perennis
Qui virtutis inops, boniq; prorsus
Expers nominis, omne sese in ævum
Victurum putat insonante fama,
Quam mala sibi comparavit arte.
Fama est illa quidem: sed atra fama,
Quæ turpat genus, atteritq; nomen.
Est optabilius carere fama,
Quàm mala resonare in orbe fama.
Te dicam Venetum perenne in ævum,
LAVRETANE, decus; iuuenta prime
Cui famam peperit bonam modestis
Semper moribus, atque scriptione;
Quam dictat Tegeæus, atq; Apollo,
Fundatis Academicum Lyceis,*

52

Ignotis titulo quidem, sed usque
 Iam fama resonante ad astra notis.
 Visa stamina differat seucra,
 LAVRET ANE, Tibi secare Parca;
 Ut, Te nobilis Adriæ iuventus
 Palladis præeunte per theatra,
 Ediscat, sibi nominis parare
 Qua possit ratione claritatem.

In obitu

VENTVRELLI DE VENTVRELLIS

Patricij Amerini I. V. D. eximij, qui gra-
 uibus in Romana præsertim Curia
 muneribus summa cùm integritate
 perfunctus, in senectute bona
 decessit.

O D E.



ENTVRELLVS obit. pullam,
 Themis, indue vestem:
 Et inclytum cupressina
 Fronde reuincta caput lacrymabile funus
 Alumni

Hæc desle amaris imbribus.
 Nobilitas hunc Umbra dedit, quo ciue superbit,
 Ut sole Olympus aureo,
 Vrbs Amerina. bonis nam cultus moribus, omnem
 Egref-

Egressus Vrbe patria
 Mente hausit facili, populis quæ proficit, artem
 Vtriusq; iuris indice
 Haud vnquàm dubio, & recto sub fasce regendis.
 Vbicunq; sedes Umbriæ,
 Piceni, Aemiliaque vides, Ligurumq; forenses,
 Fama sonante classico,
 VENTVRELLI audis efferrî ad sidera nomen,
 Et ius perenne pectoris,
 Quod neque blanda Venus, plures neq; Ditis acerui,
 Nec Principum potentia
 Flectere vel minimum potuit de limite recti.
 Id Roma princeps urbium
 Non experta semel summi persæpe sacrorum
 Subscriptione Antistitis
 Est hominis testata fidem. Mors, funere tantum
 Heroa iuris mergere,
 Inuida, debueras nunquàm. Manantibus ergò,
 Themis sepulta lacrymis,
 Velle comas, proscinde genas, & pectora tunde,
 Coelumque comple questibus.
 Mærori nec pone modum, pia Numina donec
 Orbi redonent alterum.



54

A V R E L I I M A S S Æ
Spediensis I. V. D. præstantissimi, &
omni virtutum genere ornatissimi.

T V M V L V S.



Anc si detegeres, viator, urnam,

Auri nobile pondus inuenires

Obrizo pretiosius metallo.

A V R I M A S S A latet reuulsa nullis

Ex præuiditis Indiæ fodinis,

Nec ex auriferis Tagi, vel Hermi,

Pactoliue nitentibus fluentis;

Sed ex Empyreis petita flammis,

Non queis sidera, solq; sese inaurant,

Sed coeli quibus incola coruscant.

Aureus iacet hic, loquar diserrè,

Ciuis, quem dedit Spediensis ora,

Nomine A V R E L I V S, domoque M A S S A.

Fuit moribus aureis decorus,

Decorus pietate, filiorum

Decorus pater educatione,

Decorus Sophos eruditione,

Decorus decore vtriusque Iuris.

Sensit id Spedia, atq; Roma sensit:

Sensit Parthenope, atque Melfienses,

Quos aqua moderatus est bilance.


Exa-

*Exactis tredecim, ampliusq; Lustris,
Decessit Spedix expeditus omni
Curarum genere, ut volaret aurea,
Quod speramus, ad astra. Nosse plura,
Hospes, si cupis, explicat sonanti
Tuba Fama volans per orbis oras.*

F I N I S.



Biblioteca Nazionale
Marciana



Biblioteca Nazionale
Marciana

Biblioteca Nazionale
Marciana

Biblioteca Nazionale
Marciana